

Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM INAUGURALEM MEDICAM

DE

PERIPNEVMONIA,

Indultu

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ

In

ACADEMIA LIPSIENSI,

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atque

Experientissimi

DN. JOHANNIS CHRISTIANI

Schambergi

Phil. & Medic. Doctoris celeberrimi, & Facult. Medicæ

Assessoris gravissimi,

Patroni atque Præceptoris sui æternum colendi,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores ac Privilegia Doctoralia

consequendi

Ad d. 1. Jul. Anno Cbr. M DC XCVIII.

H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini submittit

M. JOHANNES CHRISTIANUS

Behmann

Budissa - Lusatus, Med. Baccalaureus.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

Beckmann

coll. diss. A
15, 23

D. J. A. 215 (23).

DEO

In cultus devotissimi tesseram,

PARENTIBUS

In filialis observantiæ documentum,

PRÆCEPTORIBUS

In ulteriorem sui, studiorumque suorum
commendationem

S A C R U M

scripsit

M. JOHANNES CHRISTIANUS Lehmann.





I. N. J.

§. 1.



D Eripnevmoniam, Pleuritidem, Mediastini ac Diaphragmatis inflammationem à se invicem discernere non æque semper facilè observatur, non tantùm, quod ratione essentiæ, causæ formalis & proximæ conveniant, sed quod harum subjecta adeo vicina & continua sint, ut sanguinis motu in uno eorum turbato, idem mox pariter turbetur in altero: adeò quidem, ut advertente *Sennert. Prax. L. II. Part. II. c. 3. Baronio de Pleuripnevmonia L. I. c. 1. 3. Riverio Pr. L. VII. c. 2.* aliisque rarò forsan harum Inflammationum una sine altera existat; quamvis easdem separatas seu solitarias quoque experientia testetur nuncque separatim a me differendum sit de Peripnevmonia.

§. 2.

De hujus Etymologia, quæ usu recepto, præfari queam, non habeo, sive enim juxta *Hipp. I. de Morb. t. 23. § 27. περιπλευμονίη*, sive, ut communiter fieri solet, *περιπνευμονίη*, sive juxta *Aretæum πνευμονία* Lat. Pulmonia appelletur, si nomenclaturam spectes, præter affectum pulmonum nihil determinat: nisi & hic illud valere malimus, verba valent sicut nummi, i. e. ut eodem jure, quo inflammatio Diaphragmatis nomine Paraphrenitidis, renum Nephritidis

tis &c. venit, Peripnevmonia seu Periplevmonia ac Pulmonia terminum admittere jubeamur, & affectum hunc ex illorum numero, juxta *Galenum II. Meth. Med. c. 2.* esse concedamus, quorum nomina à parte affecta indita sint.

§. 3.

Definiri solet à plerisque scriptoribus, v. g. *Sennerto, Riverio, Bartolesto de Dyspnoëa, Willisio*, ac debet, quod sit inflammatio pulmonum, hincque cum febre acuta, tussi vehemente, respiratione difficili, & non raro cum sputo sanguineo aut cruore intermixto.

§. 4.

Subjectum ergò hujus pathematis pulmonum compages est, eaque sine dubio modo tota, juxta *Celsum IV. Art. Med. c. 7.* modo unum alterumve eorum latus, & forsàn alteruter tantum lobus; ac rectè *Joubertus de affect. thorac. c. VII. Schenckius obs. de Peripnevmon. L. II. obs. 3. Bartoletus de diff. respir. L. V. c. 12. Baronius l. a. L. I. c. 6. Sennertus Pr. L. II. Part. 2. c. 16.* aliique haud semper necessarium esse scribunt, totum inflammari pulmonem, modò unus vel alter lobus tale quid patiatur, ut sectiones cadaverum evincunt, nempe Pulmonem totum inflammatum visum *Rumlerus obs. IV. & Bonetus sepulchr. T. I. L. IV. S. 1. obs. 3.* quemadmodum unam alteramve tantum ejus partem *Bal lonius I. cons. 27. Zecchius consult. 26. Lal. à Fonte consil. 49. & Bonetus l. a.* Quo supposito concedi nequit *Paraxage re*, quasi postica tantum pulmonum pars, quæ spinæ accumbit, nec *Diocli*, quasi solæ pulmonum venæ, nec *Erast- strato*, quod arteriæ duntaxat afficiantur: sed quicquid pulmonum compagem format, inflammationi huic obnoxium credendum.

§. 5.

Recedere videntur ab asserto hoc nonnulli ex veteribus
ribus

ribus pariter ac modernis. v. g. *Zecchius Consult. Med. 26. append. & Schneiderus in Dissert. de Pleuripnevmon. ac Ettmüller. Prax. de Inflamm. & de Peripnevmon.* veram sedem Peripnevmoniaë utramque pulmonum, Pleuritidis verò unam tantum partem asserentes: cujus etiam sententiæ observatur *Barbottus Chirurg. anat. c. 15.* qui *Hippocratis* non minus autoritate, *de loc. in hom. t. 24.* ac per avtopsiam idem evincere conantur, cum *Platero & reliquis.* Quibus tamen satisfacere videtur *Baronius l. a. c. 6.* nimirum frequentius fieri posse, ut Pleura inflammata in consensum rapiat pulmones, intervenientibus spasmodicis horum fibrarum crispaturis, ut Peripnevmonia in cadavere reperia exquisitæ Pleuritidis speciem in subjecto vivo exhibuerit; aut, quæ in principio morbi revera pleuritis extiterit, per metastasin materiæ peccantis in Peripnevmoniam abierit, uti vel ex *Riverio Pr. L. VII. c. 2.* videre est. Et profectò eadem avtopsia anatomica, ad quam nominati scriptores provocant, sicut modò peripnevmonias solitarias, modò pleuripnevmonias v. g. secundum *Platerum, Schneiderum, cæterosque nominatos, it. Sennertum l. a. Foubertum de aff. Thorac. c. 7. Dodonaum obs. Medic. c. 21. Baronium l. a. c. 1. 3. & 6.* ita aliquando pleuritides solitarias, annotante *Prosper. Martiano in Hippocr. de loc. in hom. t. 261. Riverio l. a. Riolano Encbirid. anat. L. III. c. 4. & Willis. Ph. rat. II. Sect. 1. c. 9.* testatur. Adeò, ut, quamvis haud negandum, dari infinita exempla, eorum, quibus inflammatio Pleuræ ac Pulmonum simul contigerit: dentur tamen quoque, in quibus pleura ac Pulmo seorsim laborarint.

§. 6.

Pulmones ergò inflammantur in Peripnevmonia tam solitaria, quam Pleuritidi complicata. Inflammatio autem quid sit, non habeo, quod explicem, cum ex patho-

logicis hoc satis superque innotescat: id saltem mihi ad-
dere liceat, scriptores, qui ejus causam formalem seu pro-
ximam in stagnatione sanguinis consistere docent, forsan
peccare, si cruoris circulationem in quavis inflammatio-
ne, seu quovis hujus gradu omnimodè abolitam velint,
qualis non tam inflammationem, quàm gangrænâ, seu
intensissimum inflammationis gradum, quæ ut plurimum
in sphacelum degenerat seu rarissimè solvitur: sed inflam-
matio gangrænâ inferior motum tantùm sanguinis retro-
gradum imminutum seu torpidiorem videtur pro causâ
agnoscere, cum talem sæpius discuti seu resolvi eadem ex-
perientia testetur.

§. 7.

Quo supposito quoad Diagnosin notandum, Peri-
pnevmoniam quædam signa habere cum aliis partium tho-
racis inflammationibus communia, quædam sibi præ illis
servare propria. In cunctis pectoris inflammationibus
observatur Dyspnoëa, i. e. respiratio parva ac frequens,
nec necessitati naturæ sufficiens: hinc tussis vehementior
seu ferina, primò sicca, aliquando cum sputo cruento ac
demum mucoso aut purulento, ac tandem febris ardens
atque continua, aliquando etiam dolor pungitivus. Qua-
lia symptomata necessario comitatur pulsus frequens, in
principio plus minus magnus, progressu verò temporis
parvus satis, dolor capitis, agrypnia cum siti inexhaustâ.
Propria verò signa cum *Baronio de Pleuripnevmon. L. I. c. 3.*
& 8. dico, PRIMò spirandi difficultatem summam, seu ad
suffocationem urgentem, quam sublimem *Hippocrates* ait:
adeò ut juxta *Pisonem de Morb. ex colluv. seros. Sect. III. c. 9.*
propter hunc suffocationis metum nec loqui, nec aliquid
assumere commodè ægris liceat; imò notante *F. Barto-
letto Meth. in Dyspnoëam L. V. c. 12.* ad orthopnoëam ille an-
heli-

helitus difficilior ut plurimum intenditur, cum fervido afflatu; qualis orthopnoea in pleuritide non observatur, imò in dorsali pleuritide fieri nequit. Cui dyspnoeae intensiori accedit respirationis frequentia, quod ex observatione *River. l. a.* à sanguine stagnante multum repleatur ac extendatur pulmo, ut multum aëris simul capere seu admittere non possit. SECUNDO advertente *Riverio Pr. l. a. & Blasio Method. univers. Med. Therap. special. P. 13. S. 4. c. 4.* dolorem non, nisi profundum, aut inter tussendum duntaxat observabilem, imprimis gravitate quâdam contristantem, si solus laboret; quandoque tamen etiam in thoracis ambitu ille, & quidem pungitivus simul, percipitur, juxta *Bartolettum l. a.* si scil. Pleuritis combinetur: cui molestæ sensationi accedunt, monente *Willisio*, in pectore phlogosis insignis cum pulmonum intumescentiâ mirabili.

§. 8.

Cur autem minus doleant pulmones inflammati, duplicem ex *Galenii IV. de loc. aff. c. 6.* communiter reddunt rationem, nimirum, vel quod nervi ad pulmonum membranam ambientem tantùm excurrentes exilissimi atque pauci observentur, vel quod pulmo mollioris substantiæ tensioni seu extensioni inflammatoriæ promptius cedat, adeoque nec sensibilem, etiam extensus, inferat dolorem. Verùm quoad prius, falsum est, nervis adeò exilibus ac parvis pulmonum compagem gaudere, multò magis, horum surculos interiora haud subire, ut post *Vesalium 6. de hum. corp. fabr. c. 7.* *Bartholinus Vindic. contra Hoffm. p. 85. 86.* ac *de pulmon. p. 38.* it. *Riolan. antropogr. L. III. c. 11.* ac imprimis *Willis. in anat. Cerebr. c. 1. 13.* & *Pharmac. rat. P. II. S. 1. c. 1.* declararunt, & interiora æque ac exteriora visceris hujus nervis conspicuis scaterere demonstrarunt. Ac-

ce-

cedit, quod pulmones sensu exquisito gaudeant, quo non tantum instinctum respirationis primum percipiunt, sed per qualem levissimis etiam heterogeneousitatibus excutendis pares ac promptissimi existunt. Probabilior videtur altera ratio, nimirum, quod pulmonis textura membranosa mollissima & extensibilis valde, stagnanti ac tendenti sanguini facilius cedat: Sanguis forsitan quoque eandem trajectans, juxta *Bartolin. de pulmon. l. a.* motu suo paregoricum seu anodynum quasi naturale præstet, pari modo ac fomenta humectantia fibrasque partium laxantia etiam in membris externis dolorem evidenter obtundere, palam est.

§. 9.

TERTIO Febrem cum suis symptomatis plerumque intensiorem & magis ardentem: QUARTO juxta *Galenum l. a. Forestum XVI. obs. 45. & Riverium l. a.* genarum alterutrius vel utriusque rubedinem; contradicente quamvis *Bartoletto l. a.* quasi in Pleuritide aliorumque viscerum inflammationibus malæ pariter ruberent. Quibus ex *Carolo Pisone de Morb. ex serosa colluv. Sect. III. c. 9.* QUINTO addo vomitum, primis diebus Pulmoniacis familiarem admodum: sine dubio per consensum, qui pulmonibus cum ventriculo ratione Nervorum communium intercedit. Imò denique aliquid comatosi ut plurimum affectui huic combinatur, cujus ratione quoque tunc pulsus minus creber deprehenditur, nisi febris ardens valdè extiterit: qualem torporem etiam dolores aliquantum temperare non improbabile est.

§. 10.

Causa Pulmoniacæ proxima seu formalis sine dubio est sanguinis aliqualis stagnatio, seu motus retrogradus impeditus; conjuncta ergo sanguis mora peccans: qualem

lem

lem moram neſtunt, ut cauſæ antecedentes vel ipſius hu-
jus fluidi, vel thoracis ac pulmonum diſpoſitio p. n.

§. II.

Quoad ſanguinis habitudinem Peripnevmonicam, videtur hæc inprimis in lentore ſeu viſciditate hujus, ſerive conſiſtere: unde forſan non adeo incongruè ab humore ſeu ſanguine pituitoſo, annotante *Zecbio Conf. 26.* & *Riverio Pr. l. a.* derivatur; quamvis etiam ab aliis ſeu cunctis humoribus, maſſam ſanguineam conſtituentibus eam evenire poſſe, aſſerat cum *Galeño VI. §. 33. it. de Art. Med. 15.* & *de loc. affect. L. II. c. 9. de different. Febb. L. II. c. 9.* *Riverius l. a.* adeoque dum cum *Hipp. l. de morbis & de intern. affect.* etiam aliquando pulmonibus eryſipelatoſam inflammationem & quidem à bile ſeu ſanguine bilioſo evenire, idem *Riverius & Baronius L. I. c. 3.* affirmant, ac *Baronius l. a.* ſanguinem etiam purum, vel mole, vel æſtu, vel glutinoſitate, peccantem ſimile quid patrare docent, viſciditatem ſeu lentorem in omni humore i. e. cruditatem & imperfectionem ſibi concipiunt; & per conſe- quens ſibimet haud contradicunt, ut ipſe *Baronius l. a.* e- diſſerit. Nec tamen adeò abſurdus videtur *Sennertus* ali- que, qui ſanguinis ubertatem ſeu plethoram quoque hu- jus mali cauſam interdum venditant; nec illi, qui bilio- ſum, ut talem, ſeu præter modum rarefactum huc refe- runt: quatenus forſan utriusque hujus impetus ſeu pres- ſio major juſto dilatat fibras ſeu tubulos arteriis & venis intermediis nimis, ut tono eorum præter modum laxato ſe decenter contrahere & refluxum ad venas juvare ne- queant; imò forſan impuſus ſanguinis arterioſi hinc im- petuoſior, venoſi refluxui impar ſeu ſuperior circulatio- nem in parte hac turbet.

§. 12.

Quicquid proin vel lentorem, similemque heterogeneitatem sanguini inducere, vel ejusdem copiam augere, vel ad rarefactionem extraordinariam disponere valet, remotioris causæ nomen meretur: illæque sanguinis habitudines modò causarum procatarrcticarum nomen sustinent; modò extemporaneæ magis sunt, ut ex sequentibus constabit.

§. 13.

Spissitudini humorum p. n. occasiones frequentiores existunt PRIMÒ Catarrhi, ita quidem ut aër frigidus & pluviosus ad ejusmodi inflammationem æquè, ac ad catarrhos quarumcunque partium, occasio existat; & momente *Foresto XVI. obs. 44.* eos facilius corripit hic affectus, in quibus viscidiorum sanguinem augurari jubemur, scilicet asthmaticos & catarrhosos ac tussientes. i. e. Catarrhi non tantùm, ut *Sennertus l. a.* vult peripnevmonia occasio, sed ipsamet causa quoque, aliquando deprehenditur; non tamen ut lymphæ tantùm seu seri stagnatio est, sed quatenus catarrhosa hujus visciditas, sanguinem ad liberiores & per venas pnevmonicas motum ineptum reddit. SECUNDO hujus loci est aër ambiens frigidior ac spissior, si imprimis constitutioni austriæ seu calidiori talis superveniat, annotante *Riverio Pr. l. a.* quemadmodum pariter potus gelidior & fœculentior v. g. aquarum palustrum & lacustrum omniumque stagnantium usus, hyeme non tantùm, juxta *Hippocratem de aère, aquis & locis t. 4. §. 12.* sed ex calefacto v. g. à motu concitatore, corpore affatim haustus v. g. post saltationem, videatur *Hildanus c. IV. obs. 25.* aut cursum nimium videatur *Riverius obs. à Pomeret. communicat. 14.* it. *Loffius L. II. obs. 4.* it. aër frigidior post exercitium vehementius admisus, *Rhodius, C. II. obs. 1.*

TER-

TERTIO spiritus vini, similiumque potulentorum spirituosorum abusus juxta *Forestum L. XVI. obs. 46. Horstium L. III. de morb. pect. obs. 7. Sydenham. de morb. acut. S. VI. c. 4. & Willis. l. a.* qualis in Peripnevmonia producenda efficaciam confirmat Clericus, ille bene potatus hinc in templo cantans, cujus meminit *Hornung. Cista Medica ep. 275.* ejusdem forsitan, i.e. coagulatorii, generis fuit illud venenum, a quo sumto præter aliorum viscerum pulmonum quoque inflammationem excitatam commemorat *Bonetus l. a. S. VIII. obs. 10.* Faciunt denique QUARTO huc menstruorum & Lochiorum suppressiones, heterogeneitates, circulationem per pulmonum ambitum turbantes, in massa sanguinea cumulando, cujus exempla *Forestus l. a. obs. 32. in Schol. & Bonetus Sepulch. T. I. L. IV. S. I. obs. 3. §. 2. & 6.* promunt: quamvis hæc retenta præternaturalia plethoram quoque inducendo idem præstare possint. Qualibus heterogeneitatibus accensere quadrat illas, quas erysipelatis retrocessu ad Peripnevmoniam usque congestas *Bonetus T. I. L. I. S. 7. obs. 2.* perhibet.

§. 14.

Quod autem primo vere quoque non adeò infrequentes sint Peripnevmonia, imprimis post hyemem frigidiorum, item vehementiora exercitia non rarò hunc affectum pariant: evenire videtur, quod per atmospheram æque calidiorum ac corporis exagitationem immoderatiorem, humores hyeme inspissati aut quivis præter modum exagitentur, ad circulationis usque conturbationem; motus etiam corporis nimius respirationem, hinc quoque sanguinis motum per pulmones turbent, juxta *Riverium l. a.* validiore Exercitio anhelitus magnus & creber efficitur, sicque cum thorace pulmones eò usque defatigentur, ut horum substantia mollis & laxa humorem influentem facilè recipere possit.

B 2

§. 15.

§. 15.

Thoracis & Pulmonum procatarxis itidem est vel habitualis, vel accidentalis. Quarum illam voco prædispositionem quamvis, plus minus latentem, per quam nonnullos tussi frequentius obnoxios, asthmaticos, hæmoptoicos aut vitiosa pectoris angustia similive conformatione laborantes, Peripnevmonia promptius corripitur, *Forestus l. a. obs. 44.* & *Willis. Pb. Rat. P. II. S. I. c. 8.* tradunt & experientia loquitur. Quibus forsitan accensere licebit eos, quorum viscera vitalia infarctus polyposos tenent, quibus circulatio sanguinis intra pulmones ad stagnationem usque impeditur: ut potiore forsitan jure polyposæ ejusmodi concretiones in vasis pulmonum horum inflammationis, quam, juxta *Malpighium de Polypo Cordis*, Pleuritidis, sodales ac causæ pronunciari possint. Accidentalem dicere liceat, qualem injuriæ seu violentiæ externæ producunt, pectus ad pulmones insigniùs lædentes, sc. contusiones v. g. à vulnere, casu, quale quid *Rumlerus obs. IV.* annotavit. Mediant forsitan inter prædispositionem ad peripnevmoniam habitualem & accidentalem anginæ ac Pleuritides, quatenus iis aut peripnevmonia supervenit, aut in hanc illæ transmutantur: quod ab utraque illarum circulatio sanguinis per pulmones turbetur, hinc sanguis ad grumescendum ac stagnandum intra hos disponatur. Perinde ac ab officulo deglutito exactam inflammationem œsophagi & asperæ arteriæ in consensum evidentem pulmones traxisse, penes *Hildanum Cent. V. obs. 35.* legimus.

§. 16.

Etsi interdum inflammationem ejusmodi, sine ullâ procatarxi, patrent errores in diætâ vehementiores v. gr. circa potum frigidum, exæstuante inprimis corpore haustum, item aërem frigidiorum, qualia exempla superius ex
diver-

diversis recensui Scriptoribus, & quotidianæ observationis sunt. Quemadmodum aëris quoque constitutio epidemica, prædispositos æquè, ac non prædispositos & eorum pulmones horumque membranofam ac fibrosam texturam, si non ipsum sanguinem, per compagem illorum cribrandum, immediatè ac solitariè conjiciens.

§. 17.

Ex quâ causarum inprimis relatione variæ emergunt affectus hujus differentiæ, ut primò, juxta *Riverium*, alia observetur PRIMARIA seu IDIOPATHICA, & absque morbi præcedaneo contingens; alia SYMPATHICA seu SECUNDARIA, quæ aliis morbis supervenit & ab his dependet, v.g. anginæ, pleuritidi, videatur *Hippocr. V. apb. 10.* & *Galenus in Sect. VII. apb. 11.* it. variolis ut *ex Döringii Epistol. annotavit Bonetus sepulchr. L. IV. S. I. obs. 61.* sive hos comitetur, v.g. Pleurisin juxta *Dodonæum Obs. Med. 21.* it. anginam & Pleuritidem simul, referente *Timæo (Süldenflée L. II. cas. 31.* sive iidem in hanc transmutentur, quo inprimis aphorismus *Hippocratis* allegatus respicit.

§. 18.

Deinde alia observatur BENIGNA, quæ scilicet symptomata genio suo congrua habet: alia MALIGNA, si hæc aut vehementia, aut natura, aut pluralitate ac morbo primario minus respondeant, & virium nimiam mox in principio prostrationem pedissequam gerant. Qualis posterioris exempla *Schenckius obs. p. 248. de peripnevmon. ex Galeno* cum sanguine impuriore & ad gangrænosam exulcerationem vergente, item *ex Jacotii Comment. in Hipp. coac. prænot. p. 249.* ac *Salmuth. Cent. I. obs. 42. H. N. Grimm. Compend. Med. Cbym. Lib. II. c. 3.* scilicet cum brachiorum manuumque torpore, recensent. Adeo, ut tradente *Boneto l. a. obs. 58. §. 3.* sæpius decipiantur Medici, peripnevmoni-

am febrem mali moris seu malignam sibi persuadentes: cum nihilominus ex febribus ejusmodi, sive symptomatis, sive comitatis, defunctorum cadavera dissecta labem phlegmonoidem ostendant in pulmonibus, ad gangrænam vergentem.

§. 19.

Tertio alia quoque pulmonia audit SICCA, quæ cum tussî primis diebus, & sine ulla sputi rejectione: alia HUMIDA, quæ statim in primordio morbi sputi aliquid rejicit, quamvis tenuis & crudioris adhuc. Quibus accedit QUARTA differentia, per quã alia deprehenditur SPORADICA, quæ hinc inde sparsim pauca individua per causam individualem, & quidem absque contagii suspitione corripit: alia EPIDEMICA, simulque ut plurimum contagiosa, quæ plures simul afficit, & à communi seu universali magis causâ, imprimis aëris peculiari anomalia dependet; quales epidemicas peripnevmonias populares, ex aëris vitio quarta aut sexta ad summum die lethales annotarunt *Lælius à Fonte consil. 3. Wierus in obs. de variis Pestil. deflux. gener. seu de epidem. Pleurit. Peripnevmon. & angina ac Andr. Gallus Lib. IV. fasciali de Peste. Dodonæus Obs. Med. c. 21. Forestus XVI. obs. 34. in Schol. Ben. Sylvaticus Cent. I. cons. 14. & Bonetus l. a. L. IV. S. 1. obs. 58. §. 3.*

§. 20.

Item QUINTO, annotante *Sydenbamo obs. de morb. acut. S. VI. c. 4.* dicere liceret aliam Peripnevmoniam VERAM, aliam NOTHAM. Ut illa sit cum febre mitiore, seu à sanguine minus effervescente, & à colluvie pituitosa per hyemem congesta, ac nascente adhuc vere emergat, hinc forsân catarrhalis dici posset: hæc vero cum febre intensiore, adeoque pluribus ac gravioribus symptomatis, ejus comitibus indefessis, affligat. Quamvis alii v. gr.

Baro-

Baronius Lib. I. cap. 7. Peripnevmoniam legitimam & notham ratione partis maximè affectæ potiùs discernat: ut legitima seu vera auctori huic sit, quæ partes pulmonum integrantes, spuria, quæ eas tantùm contingentes, aut cum iis proximè consentientes, afficiat; perinde circiter, ac in Pleuritide vera pleura cum musculis intercostalibus internis & membranæ illi succingenti continuis magis, in notha musculi intercostales externi, & reliqua thoracis integumenta laborent.

§. 21.

Quoad Prognosin, Peripnevmonia in genere vehemens & acutum satis malum, omnium inflammationum Thoracis periculosissima est, i. e. juxta *Celsum IV. c. 7.* plus periculi, quàm doloris habet, plerique ut plurimum eadem correpti aut moriuntur, aut ægrè convalescunt, sed quartò aut plerumque septimomox die occidit, testantibus *Hippocrate 2. & 3. de morbis*, ac *Bartoletto Method. difficil. respir. L. V. c. 12.* Periculi hujus summi rationem reddunt idem *Bartolettus, Riverius & Willisus* locis allegatis. Nimirum respirationem immediatè atque insigniter conturbatam hinc sanguinis texturam naturalem enormius everfam: consensum, qui cor & pulmones, non per vasorum tantum communionem, sed actionum quoque habitudinem ad se invicem, intercedat, adeoque ipsimet cordi supervenientem inflammationem, aut pulsus saltem periculosam depravationem. Cui accedit, quod annotante *Willisio*, solutio continui cum multâ sanguinis extravasatione aut stagnatione in pulmone difficillimè sanetur, & locus affectus, propter perennem sui motum, vix unquam pristinæ conformationi restituatur. Nec tamen perpetuæ veritatis observatur communis traditio, quasi pleuritide, semper longior existat pulmonia, sed *Forestus l. a. obs. 45. in schol.*

schol. docet, hanc illa nonnunquam longiorem observari, si nimirum à materiâ crassiore pendeat : aut forsan notha magis, quæ minore febris excandescencia stipatur.

§. 22.

In specie verò Periculum hujus affectus modò intendunt, modò infringunt sequentes circumstantiæ. Quatenus primò deterior observatur Pulmonia, Pleuritidi aut anginæ superveniens, juxta *Hippocr. VII. apb. 11. & V. apb. 10.* quam per se exorta, aut alterutri huic succedens, licet *Forestus l. a.* contrarium quoque asserere conetur, peripneumonias ex pleuritide transmutatas securiores pronuncians his, quæ ab initio & ex se fiunt, superiùs primarias diximus: Quod tamen experientiæ & rationi vel ex ipsis *Foresti* verbis sequentibus repugnat, quibus pulmoniam per experientiam communem periculosiorem pleuritide pronunciat, sc. quod malum à parte ignobiliore ad nobiliorem convertatur. Deinde, quacunque demum occasione evenerit hic affectus, symptomatum ejus habitudo diversa periculum ejus moderatur: ut, si eorum pauciora & mitiora corripiant ægrum, plus sperandum, sin frequentiora & graviora, plus metuendum, veniat. Majoris spei phænomena innuit *Hippocrates Progn. t. 14.* sc. morbum facilè ferre, commodè satis spirare, dolore levari, sputum brevi sine difficultate rejicere, corpus æqualiter calidum, & molle videri, sine siti esse, urinas & alvi fœces decenter excernere, & somnos & sudores maximè naturaliter se habere. Plus contrà periculi minantur, juxta *Lommius obs. Med. L. II. p. 101. Riverium & Willisum l. a. ac Bonetum Polyalb. T. II. L. III. c. 1.* febris statim summè acuta, respiratio valde anhelosa, tussis ferox & sicca omnimode, sitis immanis, vomitus, lipothymia frequentior, sudor circa caput & cervicem, vel frigidus, agrypnia, convulsiones & delirium,

um,

um, juxta *Hippocratem VII. apb. 12.* it. Paralysis aut Hemi-
plegia. Cujus symptomatis postremi satis probabilem
ætiologiam tradit hanc quasi sanguis lentus seu spissior, qui
modo pulmonum vasa tantum obturabat, carotidum ra-
mos paulò post subiens spirituum animalium in hac aut il-
la ἐγκεφάλῳ regione genesin, indeque ad nervos ejusdem
lateris affluxum impediatur. Cuncta verò hæc symptoma-
ta, quando in Pulmonia urgent, aut de vitalitate sanguinis
jamdum labefactata testantur: aut iis persistentibus sanguis
intra pulmones congelatus est stagnans minus commodè
solvitur, nihil materiæ peccantis digeritur, ac sputo rejici-
tur; quin potius sanguinis circulatione & vitalitate, per
Dyspnœam magis magisque fatiscente spiritus animales
pariter conturbantur & ad necem usque deficiunt.

§. 23.

Porro sicut, secundum *Galenum III. prorrhet. apb. 4.*
& *X. Meth. med. c. 5.* salus pleuriticorum & peripnevmoni-
corum à virium robore dependet, prout nimirum hoc
morbi vi plus minus potentius est: ita illæ debiliores, sive
per ægri ætatem, sive per affectus præcedaneos, parum
spei promittunt, symptomatis etiam remissioribus aut se-
datis; sub vigore autem spirituum & pulsus robore nec à
symptomatis maximè horrendis v. g. febre intensiore, re-
spiratione summè laboriosâ, tussi immani similibusque
accidentibus, adeo metuendum, quia hæc naturæ superio-
ris virtute superari valent.

§. 24.

Quoad excretionem & excreta, inter hæc præ cæteris
attendi meretur sputum, ita quidem, ut (1) nihil aut pauca
sputando rejicere secundum *Hippocratem III. coac. 226.* hor-
rendares, seu pessimum & juxta *Bartolettum l. a. syllogisti-*
cum sit suppurationis, fatalis maximè signum. Cui (2)

C

proxi-

proximè accedit sputum tenue, crudum, biliosum ac sanguine multum intermixtum; dum longè melius se habet subflavum & sanguine levius tinctum, si inter morbi potissimum initia seu ante diem septimum excernatur. *Hippocr. III. coac. 143. Forestus ac Riverius l. a. (3)* nimis glutinosum, æruginosum, lividum atque nigricans, advertente *Hippocrate de rat. victus acut. t. 37. & III. coac. t. 145. atque 146.* aut (4) si sputo copiosiore rejecto symptomata morbi essentialia haud remittant, aut cessent, juxta *Hippocr. prognost. t. 15. & l. coac. 73. ac III. Coac. 152.*

§. 25.

Neque tamen sputi paucitas & suppressio semper omnimodè desperatæ sunt, modò per alia excretoria ægri sufficienter evacuentur, scilicet per hæmorrhagiam narium copiosiore, mensium quoque & hæmorrhoidum fluxum, juxta *Forestum l. a. obs. 45. Riverium Pr. l. a. & Willis. Pb. rat. l. a.* adeo quidem, ut singulæ harum evacuationum, tempestivè evenientium, morbum non rarò solvant. Quale quid sperandum itidem à fluxu alvi bilioso & spumoso, secundum *Forestum & Riverium l. a.* quemadmodum à sudore quoque & urinæ profluvio testante hoc de posteriore imprimis *Galeno VI. de loc. aff. c. 4. Foresto obs. 46. & Borello Cent. I. obs. 17.* & diureticorum usum ideò in hoc affectu maximoperè commendante *Heurnio III. de Morb. pector. c. 5.*

§. 26.

Sicut autem in inflammationibus partium pnevmonicarum cunctis, sic in peripnevmonia imprimis, sputorum præ urinæ conditionibus habenda erit ratio, cum hæc quocunque demum modo se habeat, aut fere mali ominis sit, aut fallat. Id est, hac etiam satis cocta v. g. flava, laudabilis consistentiæ & cum enœcremate apparente, sputo simul paucò & pravo, inferre convenit secundum *Willis-*

1212

um, sanguinis recrementa ad partem affectam copiosius deponi: si à statu hoc naturali ad crassitiem accedat & conturbetur, indicat eandem ex pulmonibus ad massam sanguineam resorberi: & si denique ejusmodi urinæ subito attenuetur, delirii ac mortis certæ præcones evadunt.

§. 27.

Pariter ratione fluxus alvi dubium movet *Hippocrates VI. aph. 16.* quod pleuritidi ac peripnevmonia superveniens Diarrhœa malum: minus tamen universalem hanc regulam, modò coctionis signa & naturæ robur præstò sint, ac morbus non adeo vehemens aut malignus, testantur præter experientiam quotidianam *Valeriola I. obs. 4. & 5. Amatus Lusitanus Cent. I. cur. 7. Forestus l. a. obs. 46. in schol. & Zacutus Lusitanus I. Pr. admir. obs. 114.* Quemadmodum multò minus metuendum profluvium ejusmodi, ab assumtis concitatum. Aliàs verò, monente *Forestol. a.* malum quoque videtur hoc symptoma, ratione medelæ seu curationis: ideo, quod alvum ordinariè constipantia si propinentur, sputi quoque exturbationem constringendo inhibeant; & quæ expectorationem promoveant, dulcia, alvum quoque fluidiorem reddant, hinc forsàn vires nimis prosternant.

§. 28.

Attendi hic meretur Prognosis, quam ex sanguine per venæsectionem educto depromit *Forestus l. a. in schol.* scilicet longa in praxi experientia se animadvertisse, præcipue in pleuriticis, pulmoniacis & aliquando in inflammationibus epatis & Lienis, ac in phreniticis, si ille è vena emissus corruptus, niger, limosus, tenuisque in fundo, in parte superiore aquosus, pituitosus ac nonnihil lividus cernatur, nec ab aëre externo congeletur, nullasque fibras habeat, qualis in Lue Gallica subinde evenire solet, pessimum

num hoc signum esse, ac mortem plerumque, cum aliis signis malis præfagire. Quamvis *Gabelcboverus IV. obs. 70.* ad manuductionem *Amati Lusitani* sanguinem Chirurgia eductum, qui illicò coaguletur, quoque mali ominis pronunciet.

§. 29.

Abscessus denique ad aures ac partes inferiores, si tempestivè suppurascant, *Hippocrates III. coac. 163.* peripnevmoniæ salutem portendere scribit, cui *Forestus* quoque *l. 4.* ad stipulatur. Quod si vero intra septem dies non sanetur pulmonia, aut interficit, aut suppuratur, hinc frequentius in tabem abit: quamvis eam, ex aliorum observatione, aliquando ita prolongari referat idem *Forestus*, ut pedum tumorem ac Hydropem inducat, perinde ac in suppuratis aliquando contingat.

§. 30.

De cæterò ut plurimum terminatur per sputum, interdum tamen quoque in alios morbos transit, modò salutarem scilicet pleuritidem, quamvis rariùs, docente hoc *Galeno in VII. apb. 11.* & *Forest. l. 4.* quod dignoscitur ex imminuta spirandi difficultate & superveniente aut crescente lateris dolore: modò pleuritis hæc peripnevmoniæ non tam succedat, quàm combinetur. Modò etiam degenerat in affectus lethales, ut superiùs de Paralyfi & hemiplegia dictum. it. in Phrenitidem juxta *Galenum in VII. apb. 12.* nisi monente *Foresto obs. 46. in schol.* per hæmorrhagiam narium copiosam hæc solvatur. Et demum etiam, quamvis, juxta eundem *Forest. obs. 45. in schol.* rariùs in scirrhum, accrescente tunc anhelitus difficultate, tussi sicciore & frequentiore, remittente calore, & anhelitus nunc majore, nunc minore constrictione. Ancipitis eventus observatur, si in suppuratione ac empyema abeat pulmonia, tabis ad minimum certissimi indices.

§. 31.

§. 31.

Therapiæ Indicationem generaliore[m] subministrat morbi causa conjuncta i. e. sanguis circa pulmones congestus & moram p. n. trahens, sui remotionem postulando: qualem præstant aut ejusdem sanguinis reductio ac discussio, sub sputi specie excretio & tandem ejus in pus conversio hujusque eductio; ut tres hinc eveniant indicationes subalternæ.

§. 32.

Priori scopo inservit præ aliis sanguinis per venam eductio chirurgica, quam in omnibus inflammationibus, præsertim partium medium ventrem constituentium, unicum remedium ait *Mayerne Prax. Lib. II. c. 5.* & cum *Riverio* plerique Practici utramque in curatione Peripnevmoniaë paginam phlebotomiam absolvere unanimiter tradunt; quicquid *Hollerius l. de morb. intern. c. 26. in schol.* & ex hoc forsân *Riolanus encbir. Med. Pract. L. III. c. 6.* contra eandem proferant, quasi nempe haud compareat, quâ viâ materia peccans ex pulmonibus in venas incisas, brachii, cruris &c. perveniat, dum nulla harum cum pulmonum vasis communicet, i. e. nulli venæ cavæ rami, quos incidimus, ad pulmones abeant. Cui nihilominus exilioris momenti dubio reponendum, quod ipsemet *Hollerius l. a. in* hoc affectu, si à suppressis mensibus, hæmorrhoidibus aut solenni quavis uteri evacuatione ac similibus abortus fuerit &c. de venæ sectione non dubitandum esse, moneat, quasi scilicet in his casibus Epar ad Thoracem & Pulmones sanguinem rejiciat. Ast, quærerem mox & quasi præliminariter ex eodem *Hollerio*, per quosnam tramites, præter venam cavam, epar Thoraci ac Pulmonibus sanguinem infundere queat: quo stante, vena dicta (posthabitâ etiam hypothese de Circulatione sanguinis *Harveana*) cum

pulmonibus communicat; & per consequens ejusdem per ramos scalpello apertos à pulmonibus, inflammatione à quacunque causâ oppressis, sanguis revelletur seu avertetur. Præterea, nonne, annotante *Riolano l.a.* ipsemet *Hippocrates* Pulmone tumente ex pluribus corporis partibus sanguinem detrahere suadet, ut minuatur ejus quantitas, idemque à Pulmone revellatur. Quibus accedit, quod neglectâ hypothese circulationis nec *Hollerio*, in casibus ab eo recensitis, concedi valeat, sanguinem per venæ cavæ ramos à pulmonibus revelli, obstantibus non tantum valvulis semilunaribus Arteriæ Pnevmonicæ, sed tricuspidalibus quoque venæ cavæ, præfixis, hinc sanguinem non à cordis ventriculo dextro, nec à pulmonibus, admittentibus. Suppositâ verò circulatione, commodè satis deplentur pulmones per phlebotomiam, si non revellendo, certè intercipièdo.

§. 33.

Imò adeò necessarium deprehenditur hoc remedii genus, ut nec adultiore facto morbo & viribus consumtis negligendum videatur, quicquid communiter contradicant v. g. *Zecchius Consult. Med. 26. Conringius in Dissertat. de Peripnevmon. §. 39. & 41.* Neque enim vires in casu ejusmodi suffocatorio, & ubi præsens, hocque generosum, postulatur auxilium, venæ sectionem prohibere videntur: quod eadem neglectâ certò & infallibiliter suffocetur æger, vires verò fractæ utut per sanguinis missionem magis debilitentur, exitium tamen hinc metuendum haud adeo præsentaneum est; ut per consequens magnitudo morbi in indicando utique virium prohibentium vim superet. Ut taceam virium in ejusmodi casu oppressionem ab ipsâ sanguinis circa pulmones congestione esse: quas nullo modo levare licet, nisi causâ opprimente, i. e. sanguine,
sub-

sublata. Concedo *Dodoneo obs. 21.* concedo *Conringio* a-
liisque Phlebotomiam non primis statim diebus admini-
stratam frustraneam in multis observari: neutiquam ta-
men ideò negligenda, cum non tantum propter virium
forsan defectum, quam morbi ad statum sui evectionem
spes de illâ concepta, decollarit. Et hinc pariter, quid de
hâc cautelâ, quâ multi, v. g. *Forestus, Riverius, Riolanus &*
Willisus, vix aut parcius educendum esse monent sangvi-
nem, si affectus hic aliis morbis, v. g. Anginæ, Pleuritidi,
supervenerit, ideò, quod ab his & evacuationibus illis ad-
æquatis labefactatum jamdum corpus, judicandum sit, pa-
tet: i. e. nihil impedire, quò minus quacunque occasione
Pulmonia contigerit, sanguinis missio quadret; vel ideò
tamen temperanda, quod ut plurimum non tantum ab op-
pressionis præsentis, sed antecedanea potius, vires fractæ
exturbandæ materiæ peccanti non pares sint.

§. 34.

Aliàs liberalius educatur sanguis mox ab initiò, nisi
pulsus debilior modicam magis ejus depletionem jubeat,
repetendam nihilominus vel eodem die ac post sex octove-
horas in eadem gravitate, vel ad minimum die sequente,
sicque etiam tertio ac quarto, si symptomata valdè urge-
ant. Et primâ atque secundâ vice largius qui emittunt
cruorem, melius agunt, quàm qui evacuationem hanc cre-
brius, aut parcius celebrant, v. g. ad ξ x. vel juxta *H.N. Grimm.*
Compend. Med. Chym. L. II. c. 3. obs. 8. ad ξ j. Contra per-
peram agunt, monente *Willisio*, qui in media phlebotomia
(ne spiritus, ut ajunt, exsolvantur) vulnus venæ digito oc-
cludunt ac denuo referant: dum hâc ratione spatium for-
san concederetur cruori crassiori, ut vulnus præterlabatur,
neque statim ad idem redeat. Cavendum tamen, svasu
Heurnii, ne ad Lipothymiam usque procedatur, cum, ju-
xta

xta

xta *Aretæum*, hoc strangulatum augeat, interceptâ nimirum cordis vibratione, hinc motu sanguinis, per pulmones quoque, imò pro avertendo ejusmodi animi deliquio, quod ex uberiore sanguinis educatione metuimus attendendum consilium *Sydenhamii*, qui *l. a.* ægrum sub hac in lecto decumbere jubet: sicque mitius cum hoc agi inquit, si cubanti \bar{x} . v. g. detractæ fuerint, quàm si sex, septemve tantùm extra cubile dimiserit. Circumspectius etiam administretur hoc remedium in peripnevmonia illa notha, seu pituitosa, de quâ superius dictum, *Forestus L. XVI. obs. 44. 45. in schol. ac 47. in schol.* serosam seu pituitosam appellat, i. e. non adeò frequenter repetatur, ex judicio inprimis *Sydenhami de Morb. acut. l. a.* sed catharsis frequentior ipsi succenturietur.

§. 35.

Hinc quoque ob symptomata urgentia cum morbo ipso mitiora, copiosioris sanguinis subtractiones moderare licet, ac jubemur, si malignitatis aliquid subolfacere contingat, ex consilio nempe *H. N. Grimmii l. a. L. II. c. 3. obs. 5.* imò planè noxiam earundem administrationem in ejusmodi casu, *Gesnerus L. I. epist. p. 19. & Wierus obs. L. I. de variis pestilent. deflux. i. e. de epidemica pleuritid. & peripnevmon.* pronunciant, infaustos V. S. successus exemplis multis edocti.

§. 36.

Willisius, loco frequentius citato, quantitatem sanguinis educendi nec pondere, nec mensura, sed consistentia varia metiri contendit, cum vulgo asserens, sanguinem eousque pulmonis emittendum esse, donec, qui viscositatem p. n. habet, exire incipiat, & si vires ferant, emissionem ejus eousque continuandam, donec iterum bonus effluat: quod haud totus illico sanguis lentorem ejusmodi

di

di acquirat, portiones primò depravatæ circa obstructionis locum maximè aggregentur & circumcirca in vasis minoribus hæreant; adeo quidem, ut sanguis per phlebotomiam primò exiens sæpe culpâ vacet, dein vasa depleta morbificum, hætenus stagnantem, excipiant, ac circulationi reddant, qui per vulnus venæ efflueret, succedente demum puriore seu fluidiore, perinde ac sanguis emissus & diversis scutellis exceptus, interdum in singulis, sæpius verò in secunda aut tertia vitiosus, in prima & quartâ laudabilis compareat. Qualem quidem animadversionem practicam ego in dubium vocare nollem, nisi hæc obstare ipsi viderentur difficultates, quod 1) mutatio ejusmodi sanguinis emanantis forsitan aliquando satis tardè, & viribus omnimodè exhaustis, seu plane non eveniat, sive ad bonam, sive malam habitudinem, ergò expectari haud possit: nec 2) oculis aut alia ratione sub phlebotomiæ administratione æquè judicare liceat hoc discrimen, ac postquam sanguis in discis demum aliquamdiu asservatus fuerit, quod illis, qui in sanguinis subtractione coloris mutationem spectandam esse monent, olim jam dum opposuit *Mercatus de Præsid. Med. L. I. c. 2.* neque 3) certi esse queamus, dum post crassum sanguinem tenuis denuo comparet, omnem peccaminosum prodiisse.

§. 37.

Eundem in finem, nimirum ut lentus magis sanguis commodiùs scatebra plenior educatur, idem *Willis* latius incidere jubet venam: cui equidem in hoc annuo, quod pleniore fluente seu confestim magis ex orificio ampliore profluens cruor subitam magis motui sanguinis mutationem adferat, dum quod ad cor refluentis impetùs notabiliter magis hac ratione intercipitur, unde minor hujus ad partem affectam influxus. Crassiorem verò sanguinem æque per angustiorem, ac latiorrem plagam prodire, inde dubium redditur, quod spissior pariter ac tenuior per vasa capillaria, quovis vulnere ex ictu phlebotomi angustiora, annotante *Boyle probl. med. 2. § 3.* erumpat:

D

nec

nec metuendum sit cum *Willisio Pb. rat. P. II. S. 3. c. 1.* quasi sanguis hactenus æqualiter mixtus sub foramine exiliore fermentescens in partes secedat, quarum subtilior per illud prodeat portione crassiore & fœculenta pone se relicta; cum non majorem fermentescentiam & præcipitationem sanguini inducat vulnus exile, quam majus, imò forsan per ostium latius impetuosius se ingerens aër ejusmodi præcipitationem intendet seu juvabit.

§. 38.

Venarum selectu, si in ullo, certè in hoc casu neutiquam opus, cum, ut superius declaratum, nulla earum, quæ inciduntur, adeo immediatè, ac cum aliis partibus internis v. g. pleuræ latere affecto, cum pulmonibus communicet, sed horum vasa cuncta ad venas externas eadem ratione se habeant. Nonnulli v. g. *Sennertus, Riverius, Fontanus*, ubi vires debiliores, aut ægri peculiaris idiosyncrasia venæsectionem dissvadent, cucurbitulas modò siccas, modò cruentas, huic substituunt, scapulis nimirum ac dorso admovendas: perhibetque scriptorum nominatorum posterior *Respons. & Curat. Medicinal. L. I. p. 52.* se in peripnevmonica fœminâ, post multa incassum administrata remedia, cucurbitulas tandem suris costisque apposuisse, non sine felici & quodammodo miraculoso successu. Quamvis forte hic attendi mereatur consilium *Mercati*, non thoraci mox in principio, sed brachiis primùm, eas affigere jubentis, ut prius ad remotiora vocetur & per hæc educatur sanguis, antequam, derivationi ad thoracis exteriora vocemus.

§. 39.

Venæsectioni atque cucurbitulis combinant & jungunt nonnulli v. gr. *Riverius & Willisius l. a.* vesicatoria, ut secundum priorem cervici admoveantur, nimirum in ejusmodi casu, quo materia peccans, serosa ac pituitosa à capite pulmones irruere videtur; secundùm *Willisium* etiam aliis partibus, dum viri cujusdam generosi, qui pulmoniam gravissimam immo-
dera-

deratiore vini ingurgitatione sibi contraxerat, quod phlebotomiam copiosam ferre haud posset, cruribus & brachiis vesicatoria perampla applicabat, optimo quidem cum successu; proin locum hinc habebunt, non tantum in illa pulmonia deplua, quam Veteres sibi finxerunt, Moderni annihilarunt, sed in quavis, tanquam revulsorium praestantissimum.

§. 40.

Revellendo sangvini suo modo etiam inservit blandior alvi subductio, plus tamen & in primo morbi principio in notha seu pituitosa peripnevmonia ac in caeteris speciebus, qualem cautelam plerique, qui eam commendant, suggerunt v. gr. *Riverius Cent. I. obs. 98. J. R. Fortis Cent. II. consult. 40. & Sydenham de morb. acut. Sect. VI. c. 4.* imprimis, si juxta *Fortem* in pulmonibus materia cum stertore extuberet, per sputum haud educibilis. In aliis verò casibus minus locum habet, nisi primarum viarum cruditates ac obturatio enema lenius postulent: exagitur enim, monente *Mercato* à cathartics potentioribus & in loco affecto uberius congeritur sangvis, ut *Lindanus* delirium quoque hinc concitatum, *Select. Medic. 12. §. 183.* testetur, sicut etiam fluxum alvi in cruditatis statu periculosum maximè peripnevmonicis diximus. Sedato ergò orgasmo materiae morbificae, suasu *VWillisii* laxantibus tutius utimur: modò tale eorum fuerit moderamen, ne sputi excretionem turbent. *Zacutus Lus. I. prax. admir. obs. 116. & F. O. Grembs, qui arbor. integr. & ruinos. Lib. II. c. 1. §. 9. n. 84.* in peripnevmonico post purgans exhibitum, sputum mox substitisse, hinc difficultatem spirandi auctam & mortem acceleratam fuisse refert. Tutiora sunt enemata leviora, hinc frequentius & juxta *VWillisii* quotidie injicienda, ex lacte v. g. hujusve sero, decocto emolliente cum saccharo rubro, aut melle simplici parata.

§. 41.

Infaustra magis ac perniciosissima observantur vomitoria, à *Rulando etli Cent. VI. curat. empir. 14.* &c. maximè deprædica-

ta: quatenus circulationem in præcordiis evidenter turbant, hinc stagnationem sanguinis augent. Nisi vel in primo statim principio, cui Medicus rarò præest, pro ventriculo tantisper evacuando, vel in statu, pro abscessu rumpendo, hinc satis temerariè, quis ejusmodi remedio uti velit.

§. 42.

Grumescentiam sanguinis, ut causam, non minus antecedentem ac continentem, potenter solvunt & tuto maxime propinantur diaphoretica ac sudorifera, quatenus per sudores spontaneos nonnunquam inflammationem hanc solvi, superius indigitatum: *Sylvius* quoque *Prax. L. I. cap. 40. §. 27.* Mixturis sudoriferis tum Pleuritidem, tum Peripnevmoniam, citò, tutò & jucundè curatas perhibet. Quorum selectiora & magis appropriata deprehenduntur ex regno vegetabili Taraxacum, Chærefolium, Scabiosa, Bellis, Carduus bened. & Mariæ, Cichorium Sylvestr. Hedera terrestris, Rad. Bardanæ, Flor. Acaciæ, Papaveris Erratici, Sambuci, Chamomillæ & Buxi, de quibus *Riverius Pr. L. VII. c. 2.* refert, eos sanguinis vitia adeò corrigere, ut si hora post eorum assumptionem ille per venæsectionem mittatur, floridus omnimodè compareat ac maneat, it. fuligo ac hujus spiritus ac Camphora: Ex animali Lapis cancrorum, Dens equi marini, Apri, Sperma Ceti, & animalium nonnullorum stercora v. g. juxta *Helmontium de Febb. du Hamel de affect. corpor. L. 2. c. 1. & Willis. l. a.* equinum, secundum *Panarollum Pent. IV. obs. 14.* & *Mayerne prax. L. II. c. 5.* ovillum ac columbinum: Ex minerali Terra figillata, Cinnabaris nativa & Antimonii, Antimonium diaphoreticum & totidem Præcipitata Bezaordica mineralia. Quibus accensenda præparata & composita tam Galenica, quàm Chymica diversi generis v. g. ex his spiritus & salia urinosa, salis armoniaci, C. C. Liquor C. C. succinatus, Sal. Prunellæ. Quorum tamen fixiora volatilibus, si imprimis hæmoptosis urget, præferantur: cuncta verò, pro symptomatis urgentibus, fe-
bri,

bri, tussi ac dolori, mitigandis temperentur lenientibus seu anodynis, scilicet seminibus lactescentibus e. g. Violarum, Cardui Benedicti, Mariæ, Cannabis, frigidis majoribus & minoribus, horumque emulsionibus, decocto Hordei, Syrupo Jujubino, Violarum, Dialtheæ, Liquiritiæ & Hyssopi; ac demum papaverinis, nempe Diacodio, Syrupo Papav. alb. in principio & incremento morbi tantum, vix in statu, ac declinatione, usurpandis, ne expectorationem interpellent, advertente *Zacuto Lusitan. I. Prax. admir. obs. 115.* opiata verò potentiora, secundum *Willisium* in hoc casu cane & angue pejus vitari debent, utpote respirationem, jam dum valde impeditam magis lædentia. §. 43.

Communiter resolventia & paregorica topica commendantur, scilicet fomenta, & cataplasmata ex Malva, Radice Altheæ, lilior. alb, fl. sambuc. chamomill. Cœpis, Cumino, Croco, Camphora &c. v. g. Cataplasma ex cumino succo caulium & axungia porcina Montani, Oleum Lini, Amygdal. dulc. Verbasci, septem florum Mynsichti, Ungv. Dialthea, Pectorale, Emplastr. Filiorum Zacchariæ de cumino, Spir. Vini camphoratus & Cataplasma resolvens *Sylvii Pr. L. I. c. 14.* descriptum. Quæ tamen vires suas ad partem affectam, utpote profundius reconditam, vix exserere videntur: eorum verò potentiora, imprimis actu calida, quantum forsan resolvendo profunt, tantum dyspnœam ad strangulationem usque augere, praxis docet: sine dubio, quod aërem pectoris internum præter modum rarefaciendo pulmonum expansionem morentur. Ut taceam, notante *H. Saxonia*, potentioribus & acrioribus ejusmodi topicis digerentibus facilè fieri posse, ut peripneumonia non tam in pleuritidem, quæ illa minus malum, transmutetur, quam hæc illi superinducatur: qualis deploratus sane foret casus. §. 44.

Frustra verò tentata resolutione sensibili, alteri indicationi subalternæ, scilicet expectorationi, maximè satisfaciendum,

dum, i. e. materia pulmonibus impacta sensibiliter seu sub sputi specie exturbanda, utpote in quali excretionem sola fere ægrorum salus consistit. Præstant hoc Digerentia atque Bechica seu Expectorantia communiter dicta, quorum mitiora in principio propinanda, scilicet Decoctum & Syrupus Raparum, Liquiritiæ, Helenii, Jujubarum, Sebesten, Ficum, Uvarum pass. Polypodii, Scabiosæ, Tussilaginis, Veronicæ, Capillorum Veneris, violarum atque aqua mulsa & Sperma Ceti, sem. anisi, it. pomum cum thure assatum, ad mentem *Riverii Pr. l. a. & Cent. I. obs. 56. Cent. II. obs. 63.* ac *Villisi l. a.* Oleum Amygdalarum dulcium, vel Lini, à *Tbonero, Manardo, Montano, Tabernemontano* ac *Gabelchovero Cent. IV. obs. 69.* tanti æstimata. In augmento verò & statu, ubi sputum copiosius apparet, ut ex sterore imprimis concluditur, eorum propinentur potentiora, seu acriora, scilicet Hyssopus, Helenium, Marrubium, Rad. ireos florent. Taraxaci, Angelicæ Zedoariæ, Nicotiana, horumque syrapi, squilla hujusque Oxymel & Lohoch, simplex & compositum seu ad asthma dictum, Benzoë, Gummi ammoniacum, Crocus, flores sulphuris, species Diaireos, Diatragacanth. spiritus salis Armoniaci anisatus & succinatus, Decoctum *Joëlis* ex Zedoaria, Gummi ammoniaco, floribus sulphuris & croco, Potiuncula *Brunneri*, ex aqua hyssopi, Vino Rhenano & Gummi Ammoniaco, decantatissima, licet minus grata, it. Mixtura, ex spiritu vini camphorato, Tinctura Croci & oleo Lini, vel amygdalarum dulc. qualem *Tachenius Hippocr. Chym. p. 184.* de prædicat.

§. 45.

Quod si etiam hæc molimina frustranea aut è re minus videantur, sed sub intensioribus inflammationis symptomatis nihil sputi compareat, de suppuratione erit metuendum: E. huic, ut tertio indicanti, litandum, i. e. illa juvanda & maturatione productum pus educendum. Prius contingit partim per emollientia v. g. species emollientes, ac digereantia communiter dicta & maximam partem modò recensita, hincque

v. g.

v. g. Decoctum usuale Pectorale, partim per Diaphoretica, superius commemorata. Abscessum verò rumpunt, & pus excerni faciunt Decoctum idem Pectorale, Nicotianæ, Hydromel, Terebinthina, Balsamus Peruvianus & Copayva, Sulphuris anisatus, terebinthinatus, amygdalinus & succinatus cum vulnerariis & mundificantibus cunctis & horum decoctis v. g. Agrimonia, Hedera terrestri, floribus Hyperici. Quemadmodum demum ulceris consolidationi inserviunt Conserva Rosarum, Botryos, Hederae terrestri, Thus cum iisdem balsamicis & vulnerariis. Sin abscessus ruptura ad interiora pectoris eveniat, hincque Empyema producat, præter Chirurgiam seu Paracenthesein Thoracis parum forsan suppetet remedi: de quibus tamen agere limites præsentis transcendit.

§. 46.

Demum ratione Diætæ colophonis loco, Aeris imprimis accuratior habenda ratio, quo nimirum hic existat ægro satis temperatus: Quippe frigidus fibras pulmonum constringit, & ad tussim ciet, uno verbo omnia frigida Hippocrati *V. aph. 24.* pectori inimica observantur; calidior verò justo ebullitionem sanguinis intendit, hinc pariter temperandus, ad illum, circiter modum, quem Sennertus *Pr. L. I. Part. I. c. 1.* describit. Et non minus in hoc audiendus est Dodonæus *Obs. Med. cap. 21.* quando in Peripnevmonia populariter grassante multum profuisse perhibet focum ex quernis lignis instructum, qui aërem in cubiculis ac cœnaculis exsiccarit, & puriorem reddiderit; ac in eo, dum nullos citius aut gravius affectos commemorat, quam qui hora una aut altera post solis occasum aëri sese exposuerint, crassiore tunc scilicet, quam interdum hoc existente. Victus sit tenuis, in affectu scilicet valde acuto, juxta Hippocrati *I. aph. 7.* nisi dum sputum laudabile apparere incipit, ad juscula pingviora placeat transire: In specie potus sit dilutus, tenuis, minusque spirituosus, v. g. Decoctum hordei simpl. vel cum liquiritia vel Decoctum papaver. rhæad. cum syrupo violarum aut capill. veneris ac serum lactis; adeoque cavendum à Cerevisiâ crassiore, tam lupulata, quam non lupulata, & à vino, quod in ejusmodi inflammatoriis affectibus venenum ait Riverius *Pr. L. VII. c. 2.* Et Bonetus *Mercur. compitalit. L. XIV. de Peripnevmon.* scribit, penes suos vini potum in iisdem nocentissimum per experientiam quotidianam deprehendi, ut vel odor ejus solus ægros evidenter offendat; imò nec ingruente lipothymia eundem impunè concedi posse, quin ab eo fatum decumbentium acceleratur. Cuncta autem potulenta sint actu calida, aut saltem tepida, nunquam frigida, utpote penes Hippocrati *V. aph. 24.* pectori infesta:

non

non obstante, quod idem senex 1. acut. 43. frigida potum, tanquam calorem febrilem & inflammationem contemperantem commendet. Quatenus materiam peccantem magis densat, seu sanguinem circa pulmones congestum plus coagulat, annotante J. R. Forti Cent. II. consult. 40. Riverio & Ettmüllero in prax. de Pleuritid. & Peripnevmonia: quorum Posterior, nihil nocentius, inquit, in his affectibus, & quod magis exasperare eosdem solet, quam frigida potus, qui coctionem impedit, excretionem remoratur, tussim provocat, inflammationem intendit, & ledendo pulmones respirationem difficiliorem facit; quae omnia in calido potu contrario modo se habent.

§. 47.

De lanâ caprinâ disceptare & cum umbra suâ dimicare videtur Sennertus, dum Pr. L. II. l. a. qu. 2. ventilare satagit, an dulcia in Peripnevmonia conveniant? quem scilicet Hippocrates suus II. de Morb. facile docere poterat, in Peripnevmonia dulces sorbitiones exhibere jubens, ut quod pulmonibus inhæret eluatur seu detergatur, leniatur quoque tussis & expectoratio juvetur. Nec adeo magni momenti sunt, quæ contra hanc Hippocratis sententiam movet, dubia, quasi dulcia, facile bilescant & jecoris ac Lienis inflammationi noceant; Hippocrates etiam, ubi de Pleuritidis curatione agit, per acidas potiones sputum moveat. Falsum enim est, dulcia adeo facile bilescere, quin potius viscidos seu pituitosos humores generent, aut etiam effervescentiam febrilem intenderent; atque sic non tam substantia seu textura, quam copia & per abusum, noceant: Acidorum admiscelam non in principio, sed progressu demum, morbi concedo, v. g. in Oxymelite, ubi scilicet expectorationi inserviendum.

§. 48.

Motus corporis nimios & exercitia ipsa eque morbi vehementia vetat, ad jactationes & volutiones nihilominus præ impatientiâ doloris & anxietatibus suffocatoriis urgemur ut plurimum: à quibus sibi temperare convenit, ne morbus cum symptomatis exasperetur, & quies ac erectus magis corporis situs, præ decubitu capitis & pectoris declivioris eadem evidenter demulcent. Quemadmodum pari de causâ tussis etiam peculiare indicans præstat, ut nimirum pro ipso sopiendo aut mitigando anodyna cæteris medicamentis semper admisceantur, ne à motibus ejus vehementioribus & inordinatis succutiantur nimis pulmones affecti. Vigiliis per similia prospicimus, ne tamen hypnotica expectorationi obicem ponant. Excreta & retenta assumptis respondeant, alvus etiam segnior Clystere leniore stimuletur: Animi verò pathemata, in specie iracundia, rationis fræno coercantur.

S. D. G.

Coll. diss. A. 215, misc. 23